THESES SELECTAE

EX

LOGICA ET METAPHYSICA

QUAS

SUSCIPIUNT PROPUGNANDAS

D. LAURETUS FRANCI

ET

P. ROSATUS SCLOCCHI

IN COLLEGIO AQUILANO

SOCIETATIS IESU

MENSE AUGUSTO ANNO MDCCCXLVI

Facta cuilibet post quartum arguendi facultate

AQUILAE

TYPIS MAGNI-SAXI ITALIAE

I.

Media humanae naturae ad sapientiam comparandam proposita, sensibilitate, intelligentia, ratiocinatione, conscientia, et auctoritate continentur; de quorum veracitate subdubitare prudenter non possumus, nisi scientiis perniciem intendere velimus: quod illis accidit, qui intemperante, aut vana, veluti methodica, dubitatione delectantur.

II.

Ad intelligentiam simplex obiecti perceptio pertinet ac iudicium, quod ut habeatur, comparatione aliqua idearum, contra Reid, Cousin, et Vincentium Gioberti, opus esse defendimus. Quae autem veritates ratiocinio habentur, a principiorum firmitate, unde profluunt, vim repetunt: ipsaque principia, si prima sint, evidente rei intuitione proposita, per se mentem ad assensum alliciunt. Hinc emergit etiam iudicium et ratiocinationem ideas generales exquirere, quae quidem non sunt ipsum absolutum Ens, neque solis nominibus continentur; quorum primum Gioberti, alterum perperam asseruit Stewartius.

III.

Auctoritatem in re facti generatim inspectam, etsi plena non sit, ut normam approbatione dignam quam in operando sequamur, habendam esse iudicamus; quod si talia contingant rerum adiuncta, ut auctoritas plena evadat, ab ipsa certitudinem suppeditari compertum est: id etiam traditioni orali, et historiae competere defendimus.

IV.

Scientiarum axiomata analytica et synthetica tantum esse defendimus; non ita tamen, ut ex analyticis praeter unum, *Ens est*, caetera synthetica a priori dicamus, ut vellet Gioberti, Kantium in hoc imitatus; licet diverso usus principio, nempe immediata Entis relationumque eius intuitione: inter ea vero illud est perecelebre quod in veritatibus experimentalibus futurum simile transacto decernit: quare Reidii, Humii, et Mancini opiniones reiicimus. Haec porro omnia *per absurdum* ad unicum tandem omnium absolute primum principium reduci possunt, quod nobis est = Impossibile est idem simul esse et non esse.

V.

Mens humana in scipsis immediate rerum existentium essentias non cognoscit: sed non inde inferri potest, omnes reales essentias vel mediate humano intellectui impervias esse. Quod si creaturarum essentias ab earum existentia praecisas consideremus, eas a natura et intellectu divino ita dependere defendimus, ut in absurda Dei non existentis hypothesi nihil possibile fore pro certo habea-

mus. Hinc etiam falluntur qui eas a voluntate et potentia divina dependentes constituunt.

VI.

De Uno, Vero, ac Bono, aliisque his affinibus notionibus entis, ut brevitati heic consulamus, coram, si lubet, dissereturs. Haec tamen diserte enunciamus: Ens necessarium id esse cuius existentia absolute ita est ut nequeat non esse; quare immutabilitatem etiam sibi vindicat, eiusque duratio est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio, seu aeternitas, cui opponitur tempus, nempe entis *successivi* ipsamet duratio.

VII.

Compositi notio ex pluribus simul iunctis aliqua ratione coalescit; simplicis autem ex opposito resultat: sed non ideo simplicitas in sola partium exclusione reponenda est, verum in ipsa entis realitate, ex qua compositionis negatio emergit. Praeterea infinitum ex finitorum additamento conflari nequit; eius perfectissimus conceptus nonnisi Enti undequaque necessario competit; quamque opponunt nonnulli imaginarii spatii et cuiusdam extensionis infinitae ideam, nihil reale extra imaginationem ipsam repraesentat.

VIII.

Verum eminent inter alios substantiae et causae conceptus. Horum primus in notitia rei per se stantis; quod non solum Lokium, sed Cousin et Cartesium una refellit; alter non in duarum rerum successione, sed, ut ad

causam efficientem coarctatur, in physico influxu entis unius aliquid a se distinctum quod antea non extabat producentis constitui debet. Huiusmodi activitate creaturas donari defendimus; neque ideo eas creatrices, respectu etiam proprietatum, quas in rebus efficiunt, dicimus; quod postremum coarguit errorem Vincentii Gioberti.

IX.

Vulgares et trascendentales idealistas, qui obiectivam mundi realitatem denegant, et eos qui ex fide tantum eam innotescere autumant, impugnamus. Ab idealistis enim causa et ratio assignari nulla potest repraesentationum quibus corpora obiiciuntur, si corpora nulla sunt: qui vero sensuum impotentiam, rerum contingentium naturam, et sensilis perceptionis indolem ad errorem tuendum oggerunt, vel cum Gioberti ab creationis intuitione tantum mundi realitatem ratam esse affirmant, vehementer errant.

X.

Pantheismus quem Spinoza cum rationalismi transcendentalis et realismi absoluti fautoribus instauravit, et recentius etiam novis variatum involucris Ahrens tradidit, omnigenis scatet absurdis. Mundus non est Deus, neque huius phaenomenon et evolutio; sed suis constat essentia et proprietatibus, immensum a natura divina distinctis et discrepantibus: quam veritatem ut assequamur, non opus est intuitu immediato Entis creantis existentem, ut vellet Gioberti; praeterquod *intuitive* cognosci a nobis principium illud, auctoris momenta nullo pacto suadent.

XI.

Deus autem non ex praeexistente materia aut sua substantia, sed libere, ex nihilo molitus est mundum. Effectio igitnr qua aliquid ex nullo praesupposito subiecto conflatur, non modo possibilis est, sed ipso eventu comprobata, rationalistarum coarguit audaciam. Hanc porro activitatem Deo convenire vel ipsemet demonstrationis processus a posteriori certo ostendit: quod iniurià negat Gioberti.

XII.

Finis quem sibi Deus proxime praestituit in mundi creatione, praeter suam bonitatem eiusque manifestationem nullus esse potuit. Quotquot insuper sunt entia in natura eorumque effectus, etsi constitutis legibus pulchritudinem mundo tribuant in suo genere numeris omnibus absolutam; non inde tamen Ens omnium supremum agere aliquando non potest praeter aut supra rerum naturalium concursum, ad sui dominatus voluntatisque manifestationem et decus.

XIII.

Sentiendi actio. utpote ab interno et vitali principio procedens, cum impressione peracta in sensoriis ab obiectis, cerebri motu corporisque temperie, confundenda non est. Ea in externis concretisque factis repraesentandis versatur, et quamvis confusa ratione, perceptionem alicuius sensibilis obiecti continet, quod ad ipsam excitandam efficiendamque sua etiam activitate concurrit; unde sensatio non est subiectiva tantum, ut vellet Malebranche, et eius asseela Gioberti, sed vel maxime obiectiva.

XIV.

Humana voluntas, appetitus scilicet rationem consequens, in felicitatem absolutam necessario fertur: sed in terminata bona quae cum illo non necessario connectantur vera fruitur libertate. Hanc vero in hoc reponi arbitramur, ut positis etiam conditionibus ad agendum necessariis, animus activa et eminenti, dixerim, qua pollet potestate, pro arbitrio seipsum determinet, actionemque ita eliciat, ut eam cohibere, vel in contrariam immutare pro lubito potuerit.

XV.

Cogitatio ita cum materia repugnat, ut ne divina quidem potentia inde efflorescere, aut in ea recipi possit. Hinc humanus animus nec corpus aliquod, aut corporis pars, nec qualitas quae corpus afficiat, sed substantia omnino simplex esse debet. Iactatum itaque phraenologiae, vel craniologiae systema a Gall et Spurzheim invectum, si materialismi absurditate viduari velit, nonnisi ut instrumenta sensibilitatis animi cerebri partes habere potest.

XVI.

Quum spiritualis substantia ea sit, quae ad materiam non definita supra corporeum ambitum sic evehatur, ut in operationibus suis materiae determinationes omnino trascendat. humanus animus apprime spiritualitatem sibi vindicat. Quapropter neque a parentibus per traducem, neque a divina substantia per emanationem, sed ab efficacitate absoluta creantis supremae Causae originem repetat necesse est.

XVII.

Praeterea cum idem animus fato corporis superstes vita fruiturus sit, qua ab efficiente nullo privari possit, perpetuus et immortalis dicendus est. Id ex ipsa animi natura, divinisque attributis adeo evidenti ratione deducitur, ut insanire prorsus ii videantur, qui veritatem hanc, quae cum humano genere inveteravit, ut suis passionibus blandiantur, in dubium revocare non erubescunt.

XVIII.

Neque empirismus Lockii, Condillachi, et Laromiguerii; neque rationalismus Cartesii, Leibnitzii, et Rosminii; neque idealismus trascendentalis Kantii, et Fiethii; neque absolutismus Schellingii, et Hegelii; neque demum ratio impersonalis a Cousinio, aut idea Entis et existentis a Gioberti invecta, veram idearum originem suppeditant. Ad eam explicandam, vis quaedam animo ingenita statui debet, quae in obiectis sensui propositis, tanquam a cognitionum materia, eas sibi detegat notiones, quae ad intelligentiae ordinem pertinent.

XIX.

Dei existentiâ adversus atheorum impudentiam vindicata, quantum homini datum est assequi, Deum dicimus: Ens a se, necessario existens, perfectiones omnes sine limite et defectu continens, infinita intelligentia, ac immutabili perfruens voluntate. Id maxime ab effectibus et ordine naturae de suprema Causa deprehendimus: neque ideo res diverso cognoscimus modo ac sunt, aut Absolutum et Causa, ab effectu et relativo ex lubitu ponitur, ac veluti

creatur, ut, ad reiiciendam demonstrationem a posteriori autumat Gioberti; siquidem illas uti revera in se sunt per ratiocinationem cognoscimus; nempe necessario ab aliqua prima Causa dependentes; neque Deum ponimus creamusve, sed eius realitatem cum qua, si existimus, necessario nectimur, a se aeterno existentem, ineluctabiliter profiteri cogimur.

XX.

Ex Dei natura constat dualismum et polytheismum inter insanias recensenda esse: ac tandem in omnibus quae mundum conflant exornantque ipsius Dei sapientissima elucet providentia, ita sane ut non solum ad rerum genera, aut nobiliores creaturas, sed ad singula quoque individua infimasque creaturas protendatur. Immo ipsa mala, quae rebus admisceri deprehendimus, quin divinae gubernationi vel minimum adversentur, eamdem fulgentissime comprobant atque patefaciunt.